

tum in se, tum praesertim secundum relationes suas ad mundum aspectabilem inferiorem, ad homines alios nobiscum viventes, ad Deum auctorem naturae totius.

5) *Comparatio hujus scientiae cum aliis scientiis humanis*, nonnullas ostendit differentias. Est enim haec nostra non quidem speculativa sicut aliae multae, ad cognitionem aliquam acquirendam tendens ut veritas cognoscatur, sed *practica*, tendens ad principiorum cognitionem ut per ea dirigi queat nostra operatio. Est deinde ethica scientia universalitate sua vere *superior* aliis omnibus scientiis practicis, quum operationem humanam non sicut ceterae ad finem aliquem particularem, atque in ordine aliquo particulari dirigere studeat, sed ad supremum hominis finem, in omni ordine in quo homo ullo se modo possit in hac vita habere. Est etiam ex ipso suo objecto et ex suo fine *nobilissima* omnium humanarum scientiarum; quandoquidem iste inter universas creaturas nobilissimus existat homo, cuius excellentissima facultas, liberam dico voluntatem, per ethicam doceatur et quae ipsa sit, et quo tendere possit ac debeat, et quomodo, qua norma, quibus mediis illo conniti oporteat. Est denique inter omnes humanas scientias lumine naturali possibles, *utilissima* haec, imo una *necessaria*, quacum humana natura finem suum ac bonum attingere discat, sine qua nec finem ac bonum suum obtinere, neque proinde ad aliquid ipsa vere bona esse possit.

6) *Methodus* nonnisi una rationabilis in praesenti re appareat; si nempe iis omnibus presuppositis, quae in metaphysicis de mundi universi natura, et fine, de hominis ipsius natura, ortu, vita praesente et futura, de Dei omnium auctoris personalis existentia, essentia ac proprietatibus, cognitione, providentia et dominio, perfectione justitiae, bonitatis, sapientiae, suis quaeque locis dicta sunt, jam ipsum finem ultimum naturae humanae ejusque operationum, quaeramus deducere, normamque exinde universalissimam agendi statuentes, eamdem ad hominis activitatem applicemus.

7) *Dividetur* igitur imprimis universa Ethica in tres partes, quarum prima actum humanum universum considerans, illa ejus elementa, adjumenta, normam, adjuncta respiciat quae omnibus humanis actibus communia sint; altera vero actus illos scrutetur quatenus variis in adjunctis, variis relationibus innexus homo quisque privatus existat; tertia tandem actus non iam hominis privati sed actus humanos sociales varios, seu hominum prout societatis membra sunt, perspiciat. Sint ergo :

- Pars 1. De actu humano generativi.
- Pars 2. De actu humano privato.
- Pars 3. De actu humano sociali.

PARS PRIMA.

DE ACTU HUMANO GENERATIM.

Activitatem humanam universum insipientibus tria nobis praecipue tractanda veniunt : essentiae ejus analysis, moralia ejus attributa, ac norma ejus proxima. Sint igitur :

- Caput 1. De essentia actus humani.
- Caput 2. De attributis moralibus actus humani.
- Caput 3. De norma actus humani proxima.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ACTUS HUMANI.

Omnis natura essentialiter finem sibi proprium habet praestitutum, essentiae huic proportionatum, in eumque per activitatem sibi propriam necessario inclinatur et tendit. Igitur essentiam activitatis humanae recte agnoscere volentes, praevie dispiciamus oportet quaenam hominis operatio ipsi sit relate ad finem naturalem propria et specifica, quae proinde possit omnem ejus activitatem atque tendentiam repraesentare; ejus, inquam, reduplicative ut hominis. Tum sufficiet istius operationis duplex elementum inquirere : objectivum seu extrinsecum alterum, scilicet finem actuum humanorum, alterum subjectivum seu intrinsecum, scilicet exercitium activitatis principiave inspectae.

- Quaestio 1. De activitate humana specifica.
- Quaestio 2. De fine actuum humanorum.
- Quaestio 3. De principio actuum humanorum.

QUAESTIO 1.

De activitate humana specifica.

Propositio 1.

Propriam naturae humanae activitatem finalem seu tendentiam, appetitus rationalis seu voluntas exhibet.

Notiones. 1) Proprium actionis naturalis principium est subjecti agentis natura; per hanc scilicet ad finem sibi proprium singulae res diriguntur ac sollicitantur. Unde conceptus naturae et conceptus finis a creatore intenti ad se invicem sunt correlati (cfr. ontol. et cosmol.).

2) Omnis actio naturalis a natura procedit ope facultatum seu potentiarum, quae proinde ut totidem instrumenta haberi debent naturae subordinata (cfr. ontol.).

3) Entis alicujus natura, concrete spectata, per ipsum complexum totalem omnium ejus potentiarum naturalium, ad unitatem naturalis tendentiae harmonice conspirantium, verissime exhibetur.

Stat. quaest. 1) Singulae potentiae habent quidem finem proprium, specificam activitatem, per quam distinguuntur, sed ipsae inter se subordinantur in unitatem tendentiae finalis naturalis.

2) Sicut per intellectum specificatur natura humana relate ad fundamentum intrinsecum, psychologicum, distinctionis ab aliis viventibus (cfr. psychol.), ita quaeritur nunc relate ad fundamentum extrinsecum, teleologicum, quamnam tendentia, tanquam specifica et ceteras sibi subordinatas habente, unitas naturae humanae reprezentetur.

Prob. Naturalis tendentia hominis ut talis, ea est quae particulares omnes tendentias ejus ad unitatem colligit; a. haec est ipsa rationalis voluntas; e.

Ad maj. Omni composito naturali similis respondere debet natura, et proinde tendentia naturalis, totius compositi propria; a. natura humana est compositum naturale unum; e.

Prob. min. Homo ut compositum naturale habet tendentiam: legalem physicam, plasticam vegetativam, appetitivam sensitivam, locomotivam, appetitivam rationalem; a. ut hae omnes ad unitatem tendentiae reducantur necesse est ut supremae uni (voluntati) reliquae omnes subordinentur inferiores, eique subserviant; e.

Coroll. 1^m Ergo recte distinguitur *actus humanus*, i. e. actus proportionatus entitati hominis ut subjecti agentis hujus humanae naturae, scilicet sub influxu deliberare voluntatis procedens; et *actus hominis*, per hominem, sed non vi rationalis voluntatis elicitus.

Coroll. 2^m Neque confundi potest haec distinctio actus humani ab actu hominis, cum distinctione *actus eliciti voluntatis*, i. e. qui immediate a voluntate exercetur, ab *actu imperato voluntatis*, i. e. qui ab aliis facultatibus elicitor seu exercetur, sed sub *imperio voluntatis*.

Coroll. 3^m Ergo tam rectus erit *humanus actus* quivis quam recta fuerit voluntas eliciens vel quocumque modo influens.

QUAESTIO 2.

De fine actuum humanorum.

Propositio 2.

In omni actu humano homo semper aliquem finem intendit, ultimum saltem secundum quid.

Notiones. 1) Omnino necesse hic est ea recolere quae in ontologia ad

prop. 64 diximus de notione et divisionibus finis; et quae ibidem ad prop. 33 de notione et divisionibus boni.

2) Dividitur *intentio finis*, i. e. modus volendi finem in operatione nostra: formalis — — quae est ex voluntate ipsa operantis:

{ explicita — — quam expresso actu voluntatis elicet agens.

{ actualis, si voluntas hic et nunc a fine movetur, quem cogitat intellectus et ad quem movet se voluntas praesenter.

{ virtualis, si operatio procedit ex virtute intentionis actualis precedentis, non revocatae, relictæ in aliquo effectu, v. c. in actione, vel serie actionum, vel in dispositione permanente, nunc efficaci, intellectus vel voluntatis.

{ implicita seu: habitualis, si opus aliquid antea fuit relatum ad finem, sive seorsim, sive in genere aliquo actionum, et intentione non revocata, illud opus peragitur, sine ullo influxu actuali primæ intentionis.

materialis — — quae est ex parte ipsius operis operati, quod natura sua ad hunc finem tendat.

{ interpretativa, quam merito censetur agens fore intentionem elicitorus, si de ea nunc cogitaret; quod patet si eam positive non excludit.

{ mere objectiva, quam merito censetur agens exclusurus si eam animadverteret; quod patet sive ex intentione opposita elicita, sive ex modo agendi ejus ordinario nunc presumendo.

Prob. 1^a pars (*semper aliquem finem*). Actio humana finem non intendens, simul tenderet in bonum (nam est actus voluntatis: cfr. psychol.); et non tenderet in bonum (nam media non ex se sed ex aliquo fine habent rationem boni); — a. in hoc est contradicatio; e.

Prob. 2^a pars (*ultimum, saltem...*). Actio tendens in finem nullo modo ultimum, aequivalet a) intentioni finis propter se (cfr. 1 part.), et simul b) intentioni finis ut medii, c) sed medii ad nihil; — a. haec sunt absurdia; e.

Ad maj. Finis qui intenditur, potest natura sua quidem talis esse ut intrinsece ad aliud ordinem habeat; attamen si agens hunc ordinem in intentione sua neglit (non negat), sed bonum illud propter suam bonitatem appetit, finis ille merito dicetur ultimus, non quidem simpliciter, quum sit essentialiter medium, sed secundum intentionem agentis.

Propositio 3.

Homo non necessario in singulis actibus humanis formaliter intendit finem aliquem simpliciter ultimum, sive materialem sive formalem.

Notiones. 1) Formaliter aliquid intenditur quando circa illud versatur vera intentio: actualis vel virtualis. — Latiore sensu aliquo etiam quando

intentio habitualis est, scilicet quia formalis intentio saltem praecessit. — Utroque sensu hic dicimus, id nimur exprimere volentes, non opus esse ut cuilibet intentioni alicujus boni particularis praecesserit ullo modo formalis intentio boni perfecti.

2) *Finis formalis* est ratio abstracta boni vi cuius aliquid fit amabile propter se. — *Finis materialis* est res in qua concrete invenitur ratio illa boni quae dicitur *finis formalis*.

Stat. quaest. 1) Thomistae contendunt omnem appetitum, cujuscumque finis particularis, ultimo resolvi in intentionem actualem vel virtualem boni perfecti, tanquam finis formalis simpliciter ultimi; hunc proinde esse primum actum voluntatis in reliquos omnes influentem.

2) Probanda est propositio quoad finem formalem, et concludere licebit a fortiori quoad finem materialem, quum hic non nisi in virtute finis formalis intendatur.

Prob. Talis intentionis formalis necessitas nec conscientiae testimonio ostenditur, nec ullo fundamento exigitur; *e.*

Ad ant. 1 part. (non conscientia). Conscientia potius testatur nos multa intendere quin nec proxime nec remote cogitaverimus quidem de bono perfecto, neque ullo modo cogitemus de excludenda ulteriore intentionum nostrarum ordinatione; *e.*

Ad ant. 2 part. (non fundamento). Hoc fundamentum esset aut ex parte ipsius objecti operationis (boni particularis), aut ex parte intellectus cognoscens et proponentis objectum, aut ex parte voluntatis; — *a.* nihil horum; *e.*

prob. min. per part. 1 (objecti). Omne bonum, etiam particularē, propter se amabile, est objectum formale voluntatis; non vero exclusive bonum perfectum, i. e. universale, infinitum...

2) (*intellectus*). Prius cognoscuntur bona particularia quam bonum universale.

3) (*voluntatis*). Huic sufficit objectum suum formale, ubicumque inveniatur; *a.* invenitur etiam in particularibus (bonum); *e.*

Objic. 1º Probatio praecedens supponit hominem cognitione intellectuali prius attingere ens singulare quam universale; *a.* hoc falsum est; *e.* (cfr. psychol.). — *R. d. maj.* prius bonum alicujus speciei particularis, quam bonum universalissimum, perfectum, *c.*; prius bonum vel ens concretum singulare quam abstractum specificum, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 2º Sicut omnis natura in finem suum naturale, ita et homo in bonum perfectum habet necessariam inclinationem; *a.* qualem inclinationem habet natura, talem habent potentiae in ea radicatae; *e.* voluntas hominis... — *R. d. maj.* inclinationem, i. e. dispositionem ad actum, *c.*; i. e. actum, *sd.* negative (i. e. non potest agere contra), *c.*; positive (i. e. debet semper agere actualiter), *n.* — *c. min.*; — *d. par. cons.*

Objic. 3º Nihil potest agere (seipsum vel aliud) nisi in quantum est in actu; *a.* voluntas nequit esse in actu a seipsa (nam rediret quaestio in infini-

tum); *e.* debet esse in actu, esse mota ab objecto illo quod solum potest voluntatem necessitare, scilicet bono perfecto. — *R. d. maj.* in actu existendi, *c.*; agendi, *n.*; — *c. d. min.* (cfr. psychol.) — *n. cons.*

Objic. 4º Voluntas nequit se libere determinare nisi vi deliberationis præviae; *a.* haec præsupponit intentionem alicujus finis jam voliti; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* præsupponit inclinationem naturalem ad bonum, *c.*; actum tendentiae..., *n.* vel *sd.* ad finem ultimum simpliciter, *n.*; ad ultimum secundum quid, *tr.*

Objic. 5º Bonum perfectum se habet ad operationes voluntatis sicut prima principia ad intellectum; *a.* intellectus nequit assentiri alicui veritati nisi vi primorum principiorum; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* i. e. nisi habeat eorum habitum; seu ea implicite agnoscat in particuli applicatione, *c.*; i. e. nisi ea explicite cogitet, *n.* — *d. par. cons.* nisi habeat voluntas inclinationem naturalem, *c.*; nisi formalem intentionem, *n.*

Propositio 4.

In singulis actibus voluntatis homo saltem interpretative intendit finem simpliciter ultimum.

Stat. quaest. Agitur hic de voluntatis actibus tum humanis tum hominis; — et de fine formalis.

Prob. In singulis operationibus homo intendens bonum aliquod particulare: 1) intendit eo ipso bonum aliquod quod natura sua refertur ad bonum perfectum, saltem ut quedam pars et inchoatio illius; — 2) non positive excludit ordinationem illius finis ad bonum perfectum formaliter sumptum; — 3) et hoc bonum perfectum nequit ad aliud ulterius ordinari; — *a.* illa sunt elementa intentionis interpretativaes finis simpliciter ultimi; *e.*

Ad maj. 1 part. a) (intendit). Bonum particulare in tantum est bonum, in quantum participat rationem boni ut sic; *a.* haec perfecte habetur in bono perfecto; — *b) (quod saltem ut pars).* Non dicimus, ut medium, nam bonum particulare potest non esse vere medium ad bonum perfectum; potest etiam esse vere medium, et tamen non ut tale intendi.

Ad maj. 2 part. (non excludit). Ita positivo actu nollet bonum perfectum formaliter sumptum; *a.* hoc naturae humanae, naturaliter ad illud inclinatae, repugnat; *e.*

Ad maj. 3 part. (nequit ordinari). Secus non esset perfectum, sed perficiendum vel saltem perfectibile).

Propositio 5.

Non repugnat hominem simul intendere duos fines ultimos, alterum simpliciter, alterum secundum quid ultimum.

Notiones. 1) Finis est *ultimus simpliciter*, si ex natura sua ad ulteriorem non est ordinabilis; iste est bonum perfecte satiativum totius appetitus naturalis.

2) Finis simpliciter ultimus *formaliter sumptus* est ratio boni perfecte satiativi, praescindendo a subjecto eam actuante; — *materialiter sumptus* est subjectum in quo concrete invenitur illa ratio, et ut tale intentum.

3) De essentia finis simpliciter ultimi est: a) ut, sive formaliter sive materialiter sumatur, ad ulterius bonum nequeat ordinari, nam ipse est perfecte satiatus; — b) ut, si formaliter sumatur, ad ipsum omnes fines alii ordinentur, et ipse saltem interpretative in aliis omnibus intendatur; — c) ut, si materialiter sumatur, et intendatur modo naturae suae convenienti, ad ipsum ceteri fines actionum humanarum tanquam media ordinentur.

4) Finis est *ultimus secundum quid*, si eum ita voluntas intendit ut in eo sista, illum non referendo, ne habitualiter quidem, ad finem ulteriorem: a) hanc relationem non excludendo, sed ab ea potius praescindendo, sive quia intellectus non cogitat eam, sive quia dum eam intellectus cogitat nullam tamen elicit intentionem voluntas; — b) hanc relationem positive: actualiter vel virtualiter, excludendo, etiamsi ille finis sit natura sua ad alium ordinatus.

Stat. quaest. 1) Admittimus repugnare ut simul intendantur duo fines *simpliciter ultimi*; nam isti se mutuo excluderent vi propriae essentiae (cfr. supra); neque de hoc quaeritur nunc.

2) Sed quaeritur utrum de essentia finis simpliciter ultimi sit, ut repugnet, dum ipsum serio volumus tanquam finem subjecti, etiam alium finem a nobis intendi tanquam finem praesentis operis, qui non ad illum referatur; seu utrum omnis actualis intentio finis qui ad finem simpliciter ultimum non ordinetur, importet renuntiationem huic fini.

Prob. Intendere aliquid ut finem (materiale) simpliciter ultimum, est absolute velle illud tanquam bonum perfecte satiativum appetitus naturalis; a. non repugnat ut, cum hac volitione, simul intendatur aliud objectum tanquam bonum particulare independens prius consequendum; e.

Prob. min. Repugnantia esset vel ex parte objectorum, vel ex parte intellectus voluntati proponentis, vel ex parte voluntatis intendentis; a. nihil horum; e.

ad min. 1 part. (objectorum). Fini materiali simpliciter ultimo id tantum repugnat, ut dum possidetur, simul aliud objectum concurrat ad perfectam satiationem appetitus naturalis; non vero, ut antequam possideatur, aliud objectum satiet partialiter.

ad min. 2 part. (intellectus). Cognitio non mutat illa duo objecta quae simul concipiuntur existere realiter, ac proin non repugnare.

ad min. 3 part. (voluntatis). Volitio potest ferri in objecta prout proponuntur ab intellectu, i. e. secundum relationes quas inter se realiter habent: compossibilitatis.

Objic. 1^o De essentia finis simpliciter ultimi est, ut ita intendatur ut ad eum reliqua omnia referantur; a. id non haberetur quoties praeter eum alius finis ultimus intenderetur; e. — R. d. maj. ita ut nihil intendatur quod huic

fini simpliciter repugnet, et ut serio intendantur omnia media ad eum necessaria, c; ita ut omnis etiam levis inordinatio respectu talis finis excludatur, n; — c. d. min. (si v. c. in aliquo opere ille finis vel non intendatur, vel non secundum suam dignitatem).

Objic. 2^o In propositione praecedente dicebatur nullum finem posse intendi qui non referatur ad finem simpliciter ultimum; a. sic excluditur finis ultimus secundum quid; e. — R. d. maj. qui non referatur ad finem materiale, n; ad finem formalem, sd. saltem interpretative, c; semper etiam aliter, n. — c. d. min.

Objic. 3^o Secundum hanc doctrinam fieri posset ut eo instanti, quo actu et efficaciter aliquem finem prosequimur tamquam bonum totaliter perfectivum naturae, simul possimus efficaciter prosequi propter seipsum aliud bonum huic extraneum; a. hoc est contradictorium; e. — R. d. maj. simul aliud tamquam minus complete sed magis praesenter perfectivum, c; tamquam aequa perfectivum, et simpliciter ultimum, n; — c. d. min.

Propositio 6.

Finis naturalis proprius hominis ultimus in ejus naturali beatitudine realiter consequenda consistit.

Stat. quaest. 1) Notum est ex metaphysica (cfr. theol. nat.) omnia entia creata et totum mundum ordinata fuisse ad gloriam Dei extrinsecum tanquam ad finem extrinsecum absolute ultimum; et singulas specificas naturas esse creatas ad proprium suum quamque finem intrinsecum relative ultimum (cfr. cosmol.); — atque haec omnia dici de fine operis, non de fine operantis.

2) Non igitur nunc est quaerendum amplius quis sit hominis finis extrinsecus, absolute ultimus; sed solum quis sit finis ejus proprius specificus, intrinsecus, relative ultimus.

3) Neque agitur de fine naturae elevatae per gratiam (sicut nunc est), sed naturae purae (qualis nunc non est, cfr. theol. de grat.), i. e. abstrahendo ab elevatione, considerando meras naturae exigentias.

Notiones. 1) *Beatitudo* est status entis beati, i. e. entis cuius omnibus desideriis ita satisfactum est ut nihil ultra cupiat; seu quod perfecte possidet bonum quo perfecte satietur ejus appetitus naturalis.

2) *Beatitudo* est *objectiva*: bonum illud possessum; vel *subjectiva seu formalis*: ipsa possessio hujus boni.

3) *Beatitudo* *objectiva* est vel *abstracta*: ipsa ratio boni perfecte satiativi, abstrahendo a subjecto cui insit; vel *concreta*: subjectum cui inest illa ratio (abstractam multi dicunt *formalem*, concretam vero *materialem*).

4) *Beatitudinis proprietates* sunt a) duratio perpetua futura, b) cognitio evidens hujus perpetuitatis. — *Eius effectus et complementum*: gaudium plenum de bono possesso, seu delectatio perfecta adaequans capacitatem fruendi.

Prob. 1º In eo consistit finis proprius ultimus hominis, ad quod homo vi suaे naturae rationalis habet appetitum naturalem; *a.* habet... ad beatitudinem; *e.*

Prob. maj. (in eo consistit finis). Appetitus naturalis est innata dispositio naturae, qua ens fit capax possidendi aliquod bonum, et ita ad illud impellitur ut *a*) non possit illud positive respuere, *b*) natura duce appetendi illud elicit actus; — *a.* talis dispositio auctorem habet ipsum auctorem naturae, et signum est finis ab auctore intenti et operi ab eo praestituti tamquam proprii; *e.* (nisi velit dici auctor naturae sibi ipsi contradixisse...).

Prob. min. (habet... ad beatitudinem). Vi naturae rationalis, homo : *a*) cognoscit beatitudinem ut bonum sibi proportionatum et perfectum; — *b*) incitatur ad illam concupiscendam (nam appetitus sequitur apprehensionem, cfr. psychol.), et quidem ita ut *a*) non possit eam positive respuere (nam carentia beatitudinis, ut sic, nullam praebet bonitatem), et *b*) non possit, quum eam cogitat, non aliquando saltem elicere desiderium ejus actuale (nam appetit ut omnimode bona, omni alii bono praferenda, imo omne verum bonum includens); — *a.* haec sunt elementa appetitus naturalis; *e.*

Prob. 2º Repugnat divinae veracitati, bonitati, fidelitati, ut desiderium homini essentialiter naturale, sine hominis culpa, suo reali complemento frustretur; *e.*

Ad ant. 1 part. (veracitati). Repugnat veracitati divinae ut homo inducatur in errorem per ipsum rectum usum suaे rationis; *a.* beatitudinis desiderium naturale signum est, ex quo per rectum rationis usum homo concludere debet finem suum esse beatitudinem; *e.*

Ad 2 part. (bonitati). Repugnat bonitati divinae ut per id ipsum quod est homini maxime intimum, et quo supra bruta excellit, hominem brutis longe miserabiliorum reddit; *a.* ita esset, si...; *e.*

Ad 3 part. (fidelitati). Repugnat fidelitati divinae ut illud praestare non velit, etiam nulla data hominis culpa, quod per naturalem constitutionem sui operis promisit, et ad quod invincibiliter anhelat homo; *a.* ita esset, si...; *e.*

Objic. 1º Non repugnat bruta non adipisci id omne ad quod eorum naturalis appetitus extenditur; *e.* a pari in homine. — *R. n. par.* [a] brutum appetit solum *actu præsentia*, non totam seriem; contra in homine; *b*) bruta non sunt conscientia suaē capacitatis ad ulteriora; homo est conscientius suaē capacitatis ad perfectam satiationem.

Objic. 2º Sufficit finis pro toto genere humano praestitutus: successio bonorum crescens, sine tamen fine ultimo singulorum (Kant). — *R. n. assert.* (manet repugnantia cum appetitu naturali *singulorum*); — *n. supp.* (supponitur *pantheismus*, qui tollit singulorum personalitatem).

Objic. 3º Sufficit accessio in aeternum versus bonum absolutae perfectionis congruae, licet hoc nunquam attingatur (Krause). — *R. 1) n. assert.* (manet repugnantia cum Dei bonitate, fidelitate, veracitate). — *2) n. supp.* (possibilem esse seriem bonorum participatorum, relativorum, secundariorum, sine bono absoluto, reali per se).

Objic. 4º Status quietis in bono perfecto repugnat capacitati naturali humanae; — nam haec nullo bono particulari expletur. — *R. n. assert.* — *ad prob. d.* nullo finito, *c*; infinito, *n.*

Instant. Etiam infiniti possessio, saltem quoad modum possidendi, semper est perfectibilis; *e.* nunquam erit quies. — *R. 1) d. ant.* absolute, *c*; relate ad capacitatem possidentis, *sd.* simpliciter, *c*; etiam moraliter (i. e. ratione habita divinae bonitatis et justitiae, et meritorum possidentis), *n.* — *R. 2) d. ant.* perfectibilis, i. e. habet imperfectionem negativam, non majorem perfectionem, *c*; imperfectionem positivam, privationem perfectionis proportionatae, et proinde malum, *n.*

Objic. 5º Ille nequit esse finis naturalis proprius hominis, ad quem non omnes homines pervenient; *a.* ad beatitudinem non omnes pervenient; *e.* — *R. d. maj.* si ex defectu ipsius naturae vel voluntatis divinae non pervenient, *c*; si per accidens, ex libertatis abusu, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 6º Homo potest 1) appetere propriam destructionem, 2) libere velle aeternam damnationem; *e.* de facto non habet appetitum naturalem beatitudinis. — *R. d. ant.* quia vel falso conceptu beatitudinis abducitur, vel beatitudinem sibi impossibilem reputat, *c*; secus, *n.*

Propositio 7.

Objectum sufficiens beatitudinis nullum bonum creatum esse potest.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quaenam sit beatitudo objectiva materialiter sumpta, seu quodnam sit bonum cuius possessione constituitur beatitudo subjectiva.

2) Beatitudinem alii in aliis bonis finitis consistere censuerunt: *a)* *Voluptuarii*: in sola voluptate sive corporali (Aristippus); sive potissimum spirituali (Epicurus), nec ea summa intensitate, sed potius in fruitione stabili voluptatis intellectualis maxima quae possit constare cum absentia doloris etiam corporei; eo proinde erit felicior homo, quo major erit summa omnium voluptatum suarum simul sumptuarum; — sive unice in voluptate sensibili (*materialistæ et sensistæ*), proprie dicta corporea, sive etiam altioris ordinis sensitivi.

b) *Stoici*: in vita conformi naturae; scilicet ut homo independens factus a bonis animo extrinsecis, perfecte sibi sufficiat; ad hoc autem pervenit per *sapientiam*, tum speculativam ex contemplatione veri, tum practicam, i. e. habitum agendi vitam honestam, virtutem secundum veritatem contemplatam; — *Rationalistæ*: in sapientia practica; — *Academici*: in sapientia speculativa tantum, veri, i. e. idearum contemplatione.

c) *Peripatetici antiqui*: in sapientia summa, conjuncta cum bonis fortunae et commodis; scilicet in sapientia summa simul et voluptate.

3) Concedimus objecta creata, si per debitam relationem vera bona efficiuntur, posse inchoative ad beatitudinem concurrere; sed negamus ea beatitudinem per se et sine Deo efficere.